Vir Amplissime et Eruditissime

Te mihi ob diuturnum silentium iratum esse facile suspicor. verum pariter nullo dubito te omnem iram depositurum fore, si huyus silentii caas aequa mente audire velis. Vix inceperam dispersa vestra MSS horis subcessivis cum editis Petri de Vineis Epistolis conferre, quin filius natu minimus, meae deliciae, inciderit in acutissimum morbum, quocum per bimestre conflictatus e. dum vero pene convaluisset et mater et uxor lecto affigerentur, quarum aegritudo ita in dies invalescebat, ut ultra trimestre fluctuaremus. Tandem tamen obstinati morbi vires fractae sunt et Dei beneficio utraque convalescere incipit. Uti vero nulla calamitas sola, ita nova familiam nostram afflixit, eripitur enim nobis amantissima soror, cum nihil minus opinaremur.

Haec adversa fata ita omnem ardorem literis incumbendi

Si vel libros vel fasciculum ad me mittere velis, committas ipso Vendani publico, pro recto oia ad me sine vectigali perferuntur. Si vel his uti [illegible] velis [illegible] ad capita huyus Epistolae [illegible] respondere [illegible] Vale [illegible]

297

penes me extinguerent, ut nonnisi ante mensem cum
Musis in gratiam redire potuerim; qui, Vir Clariss
me, in causa sunt, quod nec literas ad te dederim
nec codices restituerim, quod ne aegre feras, e[?] omni stu-
dio atque contentione rogo atque oro. Scias igitur velim
perpetuam nullo non tempore publice laudandam tuam
operam mihi fuisse, qua inspectionem horum Codicum mihi pro-
curasti, fuerunt hi mihi eo gratiores, quo plures in-
se epistolas continent ineditas, et faciam sedulo, ut Respubl.
literaria intelligat, quantum tu Vir Amicissime de Petro
meo sis meritus. Utinam tandem Ampl. Baudisius precibus meis
locum relinqueret, copiamque Codicis Senatorii faceret, nullus am-
bigo et in hoc me reperturum, uti in omnibus quos hactenus tra-
ctavi, varia anecdota. Inquiras quaeso V. Celeb. numnon exstent
tam in Bibliotheca Academica quam Civica inter MSS. colle-
ctiones Epistolarum tam Imperialium quam Papalium, quae [illegible]-
dentur, attende ad tempora illa, quibus vixit Fridericus II. Conradus
et Conradinus nec non Papae Innocentii Gregorii Alexander, spes enim
erit non vana, dari inter eas perplurimas literas quae lucem hacte-
nus non viderunt, et tamen maximam huic periodo lucem foenerant. Curabo
cum primum id ex te cognovero, indicem illarum ad te perferri,

...n memoriam [?] revoca Ampl. Baudisio Hilarionem Monachum de Vita Caroli M. qui reperit[ur in]
...n Bibliotheca Senatoria, iubeas eum cum cura typis describi quam proxime, et primo nuntio
...cipies nummos, quos huic negotio impendisti, urgent enim bibliopola et amici novam Eginhar[ti]
...i editionem, quam hactenus ob Hilarionem distuli.

mihi jam ad manus sunt, ut facili negotio collatio in-
stitui possit, nec non excerpi queant illa, quae in apparatu
meo desiderant.

Mosantii schedarum, nec non variantes lectiones ex autogra-
pho Palmeriano huic fasciculo adjunctas invenies. Sirius
ut cum Lucano meo quadam occasione remittas est quod rogo.
Lucanus tuus minor pergratus mihi fuit, et valde salivam
movit aliquando inspiciendi majorem editionem, si enim ex
ungue leonem, Lugdunenses post Homerum scribent Iliadem.

Scire laboras, quosnam codd. MSS. servet Bibliotheca Cas-
sellana ex ipsis praecipuos. Habemus ex graecis Thucydidem
egregium manu Orientali ante 600 annos conscriptum, scholiis
ineditis exornatum, quamquam ex his plura manus imperita
bibliopegi nobis invidit. Est in nobis collectio graeca 2 vol.
quae continet Chymicos et Alchymicos veteres ~~graeciae~~ chemiae. Ex La-
tinis asservamus Statii libros Thebaidos Sec. XI. nitide descriptos,
nec non Servium in VI priores libros Aeneidos, qui media quasi via
inter Danielis et Fabricii editionem incedit, ut in Notitia Biblio-
thecae Cassellanae quam paro, plenius describam, Ciceronis scripta
quaedam Rhetorica Hieronymi et Augustini varia opuscula Sec. X. et
XI. Bedae Historia Ecclesiastica Angliae Sec. IX. ~~manu~~ Saxonica nec
non de Computo Ecclesiastico Sec. X. Egesippi Excidium Hierosoly-
mitanum lib. quinque et ~~[illegible]~~ [illegible]. Si quid ex his tibi usui esse
potest, jube manda, et me ad quaevis officia semper promptissimum

Vir Rev. et Celeb. Bocrius Salutem quae dicas multam plurimam quoque [illegible]
[illegible] gaudere videbit te deprecando Codices sibi. Apud quae ei conspicua vera et
[illegible] plura [illegible] suppeditabit quae Bibliotheca Academica.

Muratorii Collectio Rer. Italicarum & ni fallor etiam nova
Ughelli Italia Sacra edit. novissima nunc Lipsiae prostant? Inqui-
ras quaeso proxima occasione in quot tomos horum librorum quaeli-
bet sint nec ne, charta majori an minori impressi et
quo pretio vendantur apud hunc vel illum Bibliopolam.
Solent enim aliquando ratione pretii inter se differre. Si inter nos
de aequo pretio convenire possimus haec volumina in usum
novae editionis Petrinae proxime comparabo.
Quid agit Marchio Bellipomius apud vos, si nosti eum, quaeso salu-
tes meo nomine verbis amantissimis. Novella Francofurtensia
nuper narrabant Regem vestrum precibus Papae inductum hunc
captivum Lipsia Romam misisse.
En etiam consilium meum de edendo Petro. Primum locum occupa-
bunt libri VI. Epistolarum prout a Schardio editi sunt, suppleti et
emendati ex variis codicibus. II. Supplementum accedit Petri aliorumque li-
terarum nomine Friderici scriptarum, quas post Schardium ediderunt Rai-
naldus, Baluzius, Rymerus, Martene etc. III. Spicilegium dabo ex
MSS. IV. Nicolai a Rocha Secretarii Friderici II. Epistolas perpau-
cas. V. Petri a Precio ViceCancellarii Conradi IV. et Conradini
literas. VI. Epistolas Papales editas et ineditas, quae vel Friderici
Literis sunt oppositae vel discordiam ejus temporis inter Sacer-
dotium et Imperium illustrant. VII in ima ora paginarum
dabunt notae, quae loca obscuriora breviter illustrant. VIII
finem huic Codici Epistolari imponet Index locupletissimus. Si
quid mutandum addendumve detrahendum censes, aperte sine
tegumentis aut blanditiis quaeso indica.
Vale Vir Ampl. et fave Celeberrimi Nominis Tui Cultori ad-
dictissimo

J H Schmincke

Casselli X Martii 1727

Jam 8 codices Petri cum editis comparavi et fere ex quolibet operae pretium tuli. Si plu-
res extare noveris, fac rogo indicium. Coustantii collectio Epistolarum Paparum quot
tomis constat? quaeso conferas cum an jam ad tempus Friderici pervenerit, Lipsiaeque comparari possit